

1658 34
6a
6

C. B. D.
DISPUTATIO JURIDICA

De

PROPRIETATE
RERUM

Quam

PRO LOCO

In Ampliss. Facultate Juridica sibi concessa

p.p.

WILHELMUS LEISER,

J. D. & P. P.

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO Ritter /


Hall. Sax.

Habebitur in Auditorio Majori a. d. XXIII. Decemb.

horis matutinis

ANNO c13 I3c LVIII.

G. J. T. M.



WITTEBERGÆ

Literis MATTHÆI HENCKELII.


55
P. 53

8.



DISPUTATIO
PRO OPTIMUM
RERUM
PRO DOCTO
In Ampli Facultate Juridica
WILHELMUS LEISER
CHRISTOPHORO
Hil. 22.
Liber...





C. D.

COROLLARIA.
à Respondente adjecta.

Comprivignos sociari invicem posse, non modo J Civili & Can. indubitatum, sed & usu Consistoriorum comprobatum est. Nec enim est, quod accedere queamus Ant. Matthæo in Coll. Instit. primo Disp. 2. th. 18. asserenti, se primum omnium ex novis Junii, Tremellii & magni illius (si D I S placet) Germania Theologi Joan. Piscatoris Versionibus observasse, istiusmodi conjunctiones J. Divino prohibitas esse; præpostere ad hoc adducto tx. Levit. 18. v. 11. Cujus discussionem Sanioribus Theologis juxta ac J Ctis relinquimus.

II. Incolæ pagi vel alterius Locî, qui per longissimum tempus usi fuere molâ Domini sui, exstructa dehinc in consinio aliâ molâ, molendino Domini relicto, ad novam molam cujus commodiorem habent usum, invito etiam Domino accedere possunt.

III. Filius sumptus Studiorum causa sibi subministratos mortuo Patre in commune conferre non tenetur, etiamsi pater Diario suo eosdem inseruerit.

IV. Possessio in heredes suos ipso Jure non continuatur, sed facta adprehensionis accedente demum roboratur.

V. Princeps prætextu plenitudinis potestatis cohibere nequit heredem sive scriptum sive Legitimum, quâ minus hereditatem adeat, illiusve possessionem adprehendat.

VI. Heres à defuncti Creditoribus conventus, si solvere nolit haud constringitur Onere probationis, se hereditate abstinuisse, sed contrariam probationem Immixtionis in Creditores devolvit.

VII. Heres exhibendo Inventarium legitime confectum, post hinc aut Creditoribus urgentibus aut Magistratu imponente, vi juramenti purgatorii obtinere haud tenetur, præter consignatam in hereditate nihil repertum fuisse.

IIIX. Re-

II X. Relicta piis usibus, deficiente sine ob quem legata erant, caduca quidem sunt, non ita tamen, ut ad heredes testatoris revertantur, sed ut in alios Deo magis gratos usus convertantur.

IX. Aliud pro alio invito Creditore, solvi non posse, adeo verum putamus, ut licet melius pro deteriori vel dignius pro indigniori offeratur, Creditor tamen, si ex insipienti procacia acceptare illud detrectet, jure nostro adigi non possit.

X. Is, ex cujus edibus incendium ortum fuerit, in dubio nec probationem (sc. sua suorumque culpa id causatum non esse) suscipere, nec vicino damnum illatum resarcire tenetur.

TANTUM.





FELICITER!
DISSERTATIONUM

Circa

JUSTITIAM ULTIMI SUPPLICII
OB FURTUM IRROGANDI,

Prima eaq; preliminaris,

JUSTAM RERUM PROPRIETATEM OSTENDENS.

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO Ritter / Hall. Sax.

THESIS I.



E pœnâ furti, præsertim capitali, & hâc, & si excurrerit longius ejus tractatio, sequentibus Dissertationibus dicturi aliquid, novimus equidem, vulgarem eam esse disputationem, & cui ideo ægrè manum se admovisse scribat maximi Nominis Jctus, Dn. JOAN-OTTO TABOR *in Racemationibus Criminalium Definitionum Analys. Artic. 160. Ordinat. Carol. pœn. th. 18.* Neque tamen illo movemur. Principium, quod nemo, puto, nobis negaverit, ponimus, ac fundamenti loco substernimus DEUM. T. O, M. simul quoque supremum illud Numen DEUM patrem, per Filium suum Unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, calidisimis rogantes precibus, ut & hunc, & quotquot impofterum pro commo studiosæ Juventutis suscepturi sumus, ac Nominis ejus gloriæ dicatos volumus labores, S. sui Spiritus gratiâ ad regulam æternæ justitiæ, quantum ejus nostræ imbecillitatis capere potest conditio, dirigere velit.

Ingressus.

A

II. Con-

Donatio Or-
bis Terrarum
à DEO facta

II. Constat igitur hunc, quem diximus, Optimum Maximumq; DEUM, qui rerum omnium, tanquam ex nihilo abs se creatarum, Rex, Moderator, Arbiter ac supremus Dominus erat, insigni divinæ liberalitatis, suiq; erga humanum genus amoris exemplo primis nostris Parentibus jus in Orbem terrarum, & quæ illi accensentur, animantia Terræ donasse. Divinæ donationis formulam integram non pigramura scribere: quæ his verbis *Genes. I. v. 28.* vulgò legitur. **CRESCITE, ait Numen, ET MULTIPLICAMINI, ET REPLETE TERRAM, ET SUBJECTEAM: ET DOMINAMINI PISCIBUS MARIS, ET VOLATILIBUS COELI, ET UNIVERSIS ANIMANTIBUS, QUÆ MOVENTUR SUPER TERRAM.** Quæ ipsa tamen, amplissimis licet verbis concepta, interpretanda aliter haud est, quam ut supremum absolutumq; de omnibus istis rebus disponendi arbitrium penes Dominum DEUM remansisse, & (ut Juridicè loquamur,) cumulativè non privativè ea concessio facta esse intelligatur. Ita è Moralistis quoque Cardinalis JOAN. de LUGO *de Just. & Jur. Disp. II. quæ est de Dominio. Sect. 1. n. 4. & 5.*

Humani domi-
nii funda-
mentum.
Quod descri-
bitur.

III. Cæterum donationem hanc omnis humani domini fundamētum esse nemo hactenus inficias ivit. Cum autem duo sint, quibus dominium plenè sumtum absolvitur, 1. *jus seu potestas disponendi de re* 2. *illius juris proprietas*, quam Moralistæ *prælationē domini præ omnibus aliis in hoc jure disponendi de illâ re* appellant; de LUGO *Disp. 1. n. 5. cuius adeo prælationis consequens erit, ut omnes reliqui homines ab isthoc arbitrio rei exclusi intelligantur: (utrumque complectitur definitio Br. nostri in L. Si quis vi 17. §. 1. n. 4. ff. de A. vel A. Poss. quam Moralistæ ipsi sequuntur, quod sit jus perfectè de re corporali disponendi. Vid. REINHARD. BACHOV. ad Vvesemb. parat. ff. de acquir. rer. dom. n. 3 & 4. HEINR. ZOES. Comment. ad eundem tit. n. 1 & 2.)* circa primum quidem domini membrum magnam inter scriptores consensionem animadvertere est, amplissimam liberrimamque disponendi de rebus sibi subjectis facultatem primis Parentibus traditam uno ore fatentibus.

IV. Ubi

IV. Ubi tamen JOAN de DICASTILLO *Lib. II de Just.*

& Jur. Tract. 1. disp. 1. n. 85. notat, (quod ipsum nos in medio relinquitur) dominiū ipsū, quod ex divinā donatione in cuncta animantia Protoplastis competebat, per lapsum illorū omnino aliquid detrimenti accepisse, & hodie improprium posse videri; (non iniquā scilicet pænæ ratione, ut, qui obedientiam superiori suo renunciassent, suorum quoque subditorum rebellionem experirentur;) remansisse tamen ius capiendi illa, & ad proprios usus adhibendi, à Divino Numine post diluvium denuò Noacho & posteris confirmatum Gen. IX. verbis: **TERROR VESTER AC TREMOR SIT SUPER CUNCTA ANIMALIA TERRÆ, ET SUPER OMNES VOLUCRES COELI, CUM UNIVERSIS, QUÆ MOVENTUR SUPER TERRAM: OMNES PISCES MARIS MANUI VESTRÆ TRADITI SUNT: ET OMNE QUOD MOVETUR, ET VIVIT, ERIT VOBIS IN CIBUM.**

Dominium in animantia terra hodie forsitan improprium.

V. Verūm, ut diximus, de potestate utendi terrestribus rebus, quod primum Dominiū membrum est, fere conveniunt auctores: at, ubi de altero membro, puta proprietate, ex illis quæsieris, non una omnium est responsio. Quanquam enim *omnium rerum Communione*, non proprietatem, sub primis mundi cunabulis vixisse inter homines, communis habet sententia: diversum tamen de hāc ipsā omnium rerum communione sensisse, iisdem licet verbis loquutos, ex unā parte *Molinam de Just. & Jure Tom. 1. Tr. 2. disp. 20.* cum Moralitatis, & ex alterā *Grotium de Mari lib. c. V. It. de Jur. Bel. ac Pac. L II. c. 2.* cum aſſectis, animadvertit ICtus & Polyhistor, quem nos cum primis magnificimus, JOANNES STRAUCHIUS, Antecessor Jenensis, in eleganti *de Imperio Maris Dissertat. c. 1.* ubi accuratè contra istos pristina rerum communione propugnatores disputat.

Primæva omnium rerum communio in dubium vocatur.

VI. Hujus nos Viri vestigiis nunc insistentes potissimum dicimus, jus in universitatem rerum, quod per divinam donationem primis Parentibus cessit, omnis proprietatis expers haud fuisse, hancq; ipsis competentem proprietatem *primūm* in eo constituisse, ut nō solum à rebus per se posses-

Jus proprietatis per divinam donationem hominibus concessis explicatur.

sis excluderent alios Protoplasti, sed & nemo alius, si quis fuisset, jus occupandi quicquam ex illâ rerum universitate, possidendiq; habuisset. Dn. STRAUCH. *l. cit. th. 9.*

VII. Neutiquam eâdem facilitate cum doctissimo SELDENO liberos quoque Adami sub his, quibus jus occupandi aliquid ex rerum universitate negavimus, intellexerim, eosve ab omni terrarum Orbe utendi jure, quam diu proprii quid à patre assignatum illis haud fuerit, excluderim. Præterquam enim quòd *paterna pietas*, ut est in *L. Si patrem 4. C. de alend. lib.* hoc est, naturalis ratio bonis etiam propriis alendos esse liberos Adamo dictabat, ex ipsâ quoque donatione divinâ sibi jus ad Orbem terrarum competere meritò arguere poterant Protoplastorum liberi. Quorsum namque tot tamque vasta regionum spatia, tantus agrorum proventus, & dives adeò rerum omnium suppellex, si non plures quam duos divina intuita fuisset liberalitas? Et quid quæso apertius ipsâ divinæ traditionis formulâ: in quâ concessioni potestatis subjiciendi Orbem terrarum, benedictio divina, cujus virtute multiplicandum esset genus humanum, expressè præmittitur: taceo quòd effectum habere ipsa hæc concessio, antequam numerus hominum auferetur, non potuerit; de quo in sequenti Th. aliquid dicturi sumus: planè, ut quodammodo proprio ac divinæ donationis virtute sibi competentis jure, earum rerum usum, in quibus possessionem & prælationem nondum acquisiverant parentes, arrogare sibi, integrum fuisse Protoplastorum liberis, persuasum nobis habeamus.

VIII. Communionem rerum ut ex hoc ipso exstruamus aliquam, tantùm abest, ut vel tunc maximè proprietatem vim suam exerere cœpisse statuamus. *Per meum, tuum, suum* enim distinguuntur rerum proprietates, ut rectè JOAN. GOEDDEUS *ad L. meorum. gr. de V. S. n. 2.* quæ tu frustra vocabula dixeris, nisi plures quàm unum homines posuisti. Atque huic proprietati firmandæ non tantùm adducimus Moralistarum argumentum, quod jus naturale, suppositâ fragilitate & multitudine hominum, appropriationem rerum fieri præ-

ri præceperit, (*malim consuluerit,*) pacis conservandæ causâ: de LUGO *Disp. VI. Sect. 1. n. 6.* quin nec in hoc solùm consistimus, quod naturalis ratio hominibus Orbe terrarum utentibus talem prælationem, quam fundamentum proprietatis esse *Th. III.* diximus, in mobilibus quidem propter occupationem, in fundis vero propter laborem per se, secluso omni hominum conventionem aut pacto, concedat, ut ex dicendis inferiùs patebit: Sed in ipsâ prætereà divinâ traditione fundamenta ejus jacta deprehendimus. Quid est, quod non subjecisse se ait Terrarum orbem, sed subjici permittit supremum Numen? quid est *subjicere terram*, rem inanimatam & insensilem? Certè cum interdictum esset Rubenitis & Gadditis *Num. XXXII.* ne reverterentur domum trans Jordanem, donec terra Palæstina subjecta esset coram Domino; ipsi vero metuerint reverti ante ad suos, quàm terra Palæstina divisa esset inter tribus reliquas; exemplo suo, quid sit, *terram subjicere*, nobis ostenderunt: Unde istis verbis DEUM ipsum potestatem dedisse, ut in partes describeretur terrarum Orbis; imò jã tum civiles ordinationes, & reliquas humanas *κρίσεις*, quas inter se condituri essent homines, divinâ voce approbasse, iterum pro comperto habemus: *alterum* nempe, in quo constituisse autumamus jus proprietatis à divino Numine in Universitatem rerum humano generi concessum.

IX. Hominum omne factum ab ipsâ proprietatis constitutione excludendum haud putamus: in quo equidem ratio præferendi aliquem in usu rei, hoc est *ius proprietatis*, magnam partem consistit: videturq; ipse verborum, SUBJICITE EAM, modus ad factum illud non obscure respicere. Hinc rectè *dominium rerum à naturali possessione cœpisse* Nerva filius dixisse proditur in *L. 1. ff. de Acq. vel amitt. posses.* (quod de *dominio pleno* exaudiri debet, ne obstet *L. naturaliter. 12. §. 1. eod.* *proprietatē nihil commune cum possessione habere* asserens; quando nempe seorsim hæc duo considerantur.) De quo in rebus quidem mobilibus dubitatio fere nulla est. (Jungantur, quæ *Th. III.* diximus:) Video enim in eo Jctis cum Moralists convenire, quod rerum *mobiliū* aut *se moventium* proprietatem

Factum humanum ad proprietatis constitutionem requisitum.

Explicatur *L. 1. §. 1. ff. de acq. vel amitt. poss.*

In rebus mobilibus,

occupatio

per occupationem cœpisse utrique sentiunt : quâ ratione, si quis propriâ industriâ gregem ovium, vel gallinarum sibi sub infantiam mundi comparaverit; hæc ita in dominio possessoris fuisse, ut non nisi per iniuriam ei auferri potuerint, agnoscere, quos, ex utrâque gente, JCTos & Moralistas allegat, ait supra laudatus Dn. STRAUCHIUS *l. cit. th. 7.* BACHOV. quoque *l. cit. n. 8.* captivitatem ferarum & capiendi eas jus statim cum ipso humano genere cœpisse sentit. Denique ANTON. PICHARD. *Tom. II. Comment. ad Inst. tit. de Obligat. quæ ex delict. §. furtum. 1. n. 67. ex Dominic. Soto L. 4. de Just. & Jur. q. 2. art. 1. col. 3. Vaconio à Vacuna declarat. 11. n. 3. & 4. ac plurib⁹, quos allegat, optimè in hanc rē scribit: frequentiq; placuit, rerū mobiliū, & quæ usu consumuntur dominia statim cū ipso genere humano initium habuisse: capta enim, quæ antea nullius in bonis erant, capientium jure naturali efficiebantur. Ex quo simul verba Isidori *Can. Jus naturale 6. dist. 1.* ubi acquisitio eorum, quæ cœlo, terrâ mariq; capiuntur, inter exempla conjunctionis viri & foeminae, educationis liberorum &c. ad jus naturale referuntur, explicari posse autumat ipse. Quod autem jure naturali capta capientium facta dicit, ejus rei ratio manifesta est. Cum enim permissum esset omnibus v. c. apros venari, non poterat non illi, qui cepisset aprum, naturalis rationem prælationem ob factum suum dare, cujus vi reliqui homines omnes intelligerent, improbè abs se communionem usus captæ feræ peti; quândoquidem ipsis quoque industriâ suâ eandem sibi commoditatem acquirere concessum erat.*

X. Eandemq; rationem habet, quod in *all. §. 1* additur *Ejus rei vestigium remanere in his, quæ terrâ, mari, cœloq; capiuntur; nam hæc protinus eorum fieri, qui primi possessionem eorum apprehenderint: quoad enim permissa occupatio ponitur, non potest non idem juris naturalis effectus sequi. Unde simul intelligi potest, hodiernam venandi prohibitionem, quâ Principes toto pene Orbe contra subditos utuntur, cum hæc Juris naturalis dispositione non pugnare. Neque enim dominia licitâ occupatione quæsitâ subditis ademere; sed ipsam occupationem illicitam fecere; posse autem illa, quæ juris naturalis*

turalis permissivi sunt, ab eo, qui jus jubendi habet, ex causa immutari, tralatitium apud nostros & ab omnibus concessum est. ZOES. *ad Tit. ff. de Just. & Jur. n. 51.* Videatur Ampliff. & Excellentiss. Dn. GODOFREDUS SVEVUS, Collega noster, Affinis & Fautor honoratiss. *Decad. 1. resolut. quest. ad mater. Dominii & rerum quest. 4.* ubi de quæsito, *Venationibus an rectè interdictum sit subditis*, ut cætera, accuratè.

XI. De rebus mobilibus hætenus: difficilior aliquantum de rebus soli disquisitio est; in quarum possessionem indeq; proprietatem divisione potius, quam occupatione, primitus itum fuisse ab aliquibus proditum animadverto. Difficultas ex eo est, quoniam, ut rectè BACHOV. *ad Vvesem. ff. de Acq. vel amit. posses. n. 6.* notat, occupatio seu apprehensio possessionis rerum immobilium, respectu alterius, quæ rerum mobilium est, saltem ficta & impropria videri potest. Namque immobilia non utique ita in potestatem & manum, sicut moventia, redigi possunt: imò *ad fundi possessionem acquirendam non omnes glebas quis circumambulet, necesse esse, sed sufficere dicitur, quamlibet partem ejus fundi introeat, dum mente & cogitatione hæc sit, uti totum fundum usque ad terminum velit possidere. L. Possideri. 3. ff. de Acq. vel amit. pos.* At non videtur sufficiens ratio, cur ab usu fundi alicujus Abelem (faciamus ita exempli gratiâ,) excludamus, eò quod prius in illo circumambulaverit Cain: quia nempe obambulando nihil fecisse videri potest Cain, quare in usu ejus fundi, ad quem hætenus æquale omnibus jus fuerat, omnibus ipse debeat præferri. Quin &, si juxta all. L. 3. suffecerit ad possessionem indeq; proprietatem acquirendam, mente solùm & cogitatione totum possidere velle, periculum est, ne major natu (quæ *πλεονεξία* ejus & malevolentia erga fraternos greges esse potuit, præoccupare festinârit Orbem terrarum, atque Abeli pacendis ovibus locum haud relinquere. Video placere Ebræorum Magistris, ex occupatione fundi, qui antea nullius in bonis fuerit, dominium ejus non acquirere aliquem, tamen si per plures annos fructus sponte nascentes carpserit, usque dum fundum ipsum opere aliquo coluerit: ut ex Maimonide

trahit

In rebus immobilibus

tradit JOAN. SELDENUS *de Jure Nat. & Gent. juxta discipl. Hebr. L. VI. c. 4.* Quod ipsum, si admittamus, illo cum primis tempore, quo termini agris positi nondum fuere, (nam d. L. 3. de limitatis fundis expressè loquitur:) poterit adhuc cum Nervâ dici in *all. L. 1. §. 1. de acquir. vel amitt. poss. dominium rerum*, etiam immobilium, à possessione naturali cœpisse. Pari namque ratione, sicut Abelem Caino præferri in usu pecorum suorum juxta superius dicta æquum erat, eò quod illa propriâ industria sibi comparaverat; ita vicissim à Caino in percipiendis fructibus agrorum suorum Abelem excludi iniquum haud fuerit, ideò, quoniam labore illos coluerat Cain: maximè, cum neutri eorum eandem sibi in rebus alterius generis prælationem acquirendi commoditas & facilis deesset materia,

aut occupatio,

aut divisio,

que propriè assignatio.

XII. Enim verò non negaverim GROTIUS *L. II. de Jure Bel. ac. P. cap. 3. n. 1.* inter originarios res immobiles acquirendi modos divisionem quoque referri posse: præsertim cum ipsum DEUM O. M. terram Chananæam, quam universo Israelitarum populo promiserat, singulis per divisionem appropriasse animadvertam. *Jos. XV. & seqq.* Jus autem proprietatis, hoc est prælationis in usu rei, ipsi, cui ea res per divisionem obveniret, acquirendum non in conventionis solum æquitate & pacto posuerim, quod ille facit *L. cit. cap. 2. n. 2.* (quanquam hoc quoque posito, nihil tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ semel placuerunt, servare ex *L. 1. pr. ff. de pact. & scio & sentio*;) sed æquè & magis in civilis potestatis auctoritate & imperio: cujus jussa, hæc in parte & æquitati naturali & divinæ voluntati innixa, ut *Th. VII.* ostendimus, servari à subjectis & naturaliter æquum & civiliter fuerit necessum. Magis enim est, ut in primævâ terrarum divisione, si unquam talis facta est, superioris auctoritatem intervenisse statuamus; quàm ut homines nullo potestatis civilis vinculo constrictos, & iisdem, quibus nos, cupiditatibus obnoxios, communis solum utilitatis causâ æquis inter se pactionibus tantum negotium decidisse nobis imaginemur: (vid. HUGO DONEL. *Comment. de Jure Civ. L. 1. c. 6.*) imprimis, cum absque

que ordine, & quæ hunc conservet, potestate civili genus humanum, nostrâ quidem sententiâ, nullo unquam tempore post lapsum degerit in terris. Suffragatur huic opinioni *can. quo jure. dist. 8.* qui omnium rerum proprietates ad jura humana, hoc est, civilium potestatum constitutiones refert: ita tamen ut addat; *ipsa jura humana per Imperatores, & reges seculi DEUS distribuit generi humano.*

XIII. Constitutum igitur habemus & occupatione & divisione in possessionem, indeque proprietatem rerum immobilium, seu agrorum, à primis mortalibus iri potuisse: ad quam scilicet à natura & DEO ipso manu quasi ducebantur. Utro autem illud fecerint modo, facti magis, quam juris quæstio est, hâc occasione communiter ab auctoribus nostris tractata. Ac Cainum quidem terminos agris posuisse memorat *Josephus L. 1. Antiq. c. 3.* Sed ex hoc, divisione an occupatio talis, qualem *Th. XII.* explicavimus, præcesserit, neutrum concluderis; immò ne quidem, jure inde proprietatem Caino quæsitam, eo argumento solo dixeris. Quî enim nuda lapidum terminorumve positio alios ab usu agri jure excludere potuerit, non plus video, quam quod de circûambulatione in fundo, hætenus terminis nullis circumscripto, in alleg. *Th. XII.* diximus. Idem observat SELDENUS *cap. cit. circa finem.*

XIV. Mittamus antediluviana in hâc quæstione, ne de eâdem re bis dicere habeamus necesse: quando quidem agros & res immobiles omnes ad primam causam per diluvium redactos constat: unde Noachum *heredem mundi, semen generis, radicem nature, atque secundum Adam Theodoretus* vocat, *Quest. LIII. in Genes.* Videamus ergo, num certius quid ex historiarum monumentis de hujus posteris afferri queat. Divisione autem proprietatem terrarum Noachidis cessisse, distributore ipso Noë, clarè asserit *Epiphan. in Anchorato circa finē:* ubi Noachum, veluti hæredem mundi à DEO constitutum, tribus filiis suis mundum; sub sortem missum divisisse, & unamquamque partem juxta sortem singulis distribuisse ait. Hæc *Epiphanius:* cui, ne solus testimonium dixisse arguatur, addimus *Cedrenum,* qui id ipsum à Noë annum ætatis non-

B

gente-

*Q. Utrum per
divisionem
cœperint pri-
mæ & immo-
bilium rerum
proprietates,
an per occu-
pationem?*

gentesimum trigesimum agente, oraculo divinitus accepto, factum *initio Compend. histor.* dicit. Partes ipsas, quæ cuiq; per sortem obvenerint, si cognoscere lubet, adeundi GEORG. FOURNIER *Part. 1 Geograph. Orbis notit. l. 1. c. 2.* & ab ipso citati. Contra ea occupatione non divisione in proprietatem itum svadere possunt, quæ de populorum migrationibus & deductis coloniis constanter adeò apud prophanos auctores memoriæ prodita reperiuntur. De solis Græciæ populis, eorumq; migrationibus, nota sunt, quæ *Strabo L. XIII. Vellejus L. 1. Ælianus VIII. var. c. 5. Herodot. IV.* & instar omnium unus *Pausanias*, scripta relinquere. Ac negare fere nequit ab illis, transmissio Adriatico, Italiæ magnam partem, & iterum Ægei mari superato, Asiam minorem pene omnem, quæ hodie Natolia est, infestas & primùm habitatas esse. Maximopere verò cum divisione illâ pugnat, quod in sacris literis *Genes. XI* legitur, per linguarum confusionem genus humanum, quod hactenus consociatum egerat, in diversas mundi plagas dissipatum esse. Divisionis autem pactum, quale quidem GROTIUS vult, inter tot tamq; differentibus linguarum generibus utentes intervenisse verisimile haud videtur. Enim vero, si fides habenda esset FOURNIER *loc. cit. ex Chron. Spond. ad ann. mun. 1931.* scribenti, *commercio vocis omnibus ablato, Noë ac tribus filiis speciali privilegio datum esse, ut omnes intelligerent, quò omnibus ex aquo consulere possent:* facile nos hinc expediremus: dicere namque haberemus inter gentes primævas, Orbis terrarum regiones per divisionem talem, qualem ex nostrâ sententiâ superioris auctoritate fieri posse diximus, assignationem rectiùs appellaveris, distributas esse. Verùm tam recentis auctoris fide in antiquis a deò rebus nos niti non audemus.

XV. Melius itaque litem fortassis composuerit *Josephus L. 1. Antiq. c. 5. rudes homines DEO jubenti, ut propagandi multiplicandiq; generis gratiâ colonias deducerent initio non paruisse* dicens. Cui PAUL. SHERLAGUS *L. II. Dioptra Antiqu. Mosaic. Dissert 3. Sect. 1. ex Hexaemero Eustabii Antiocheni subdit, Noachi monitis jussu DEI migrationem in varias mundi plagas intimantis, posteros ejus non obedisse: Itaq; novis calamitati-*
bus

bus vexatos, colonias demum misisse. Ex quo ipse extruit, jam tùm cum Noë jactis sortibus mundi portionem filiorum cuique distribuisset, revera terram divisam esse, & jus adquisitum agnatis Noe in signatas ab eo provincias: Cæterùm, cum constet singulari Numinis consilio & voluntate evenisse, ut discernerentur gentes, & proprias sibi acquirerent regiones; videri possit factum hoc ad communes proprietatem acquirendi regulas non adeò exactè examinari debere: sicque scriptura S. illud omne soli DEO ascribit *Deut. XXXII. v. 8.* verbis: *quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum &c.* Quod si tamen de hominum facto, de quo nemo dubitat, quin accesserit, affirmandum quicquam est, malim dicere, occupatione proprietates regionum gentibus primitus quæsitæ esse: tùm, quoniam vereor, ne ista prophanis scriptoribus prodita Noachi divisio fictis traditionibus superstructa sit: tùm verò, quòd ipsos illos, qui eam admittunt, auctores jus saltem ad proprietatem per illam Noachidis quæsitum, possessionem autem & usurpationem proprietatis, quæ in facto ipso consisteret, per occupationem demum accessisse, sentire video. SEHRL. *loc. cit.* Dn. STRAUCH; *Dissert. de Imper. mar. c. 1. Th. 12.* Consentit iterum Josephus *l. cit. c. 6. tunc*, inquit, *quo quemque sors, & Deus tulit, eam terram cum suis occupavit, ut tam maritima quam Mediterranea cultoribus replerentur.* Occupationem intellige, quæ universitati convenit, propter quam sc. in seffo certo terrarum tractu ab unâ aliqua gente, & à singulis quibusdam ex illâ coli cœpto, altera, quæ & ipsa in certo loco semel confederat, non nisi improbè ab hâc, ut sibi cederet loco, petere, aut eo nomine quietem ejus turbare poterat; sed contentam eam sedibus, quas semel occupasset, esse oportebat; quandoquidem *quod semel placuerat, amplius displicere non debebat*, ut est in *c. quod semel. 21. de R. I. in c.* & hæc altera consilium suum in alterius injuriam mutare non poterat. *L. nemo 75. de R. I.*

XVI. Neutiquam hic nobis consistendum est, aut gentes ipsas, postquam diversas regiones insedère, communionem inter se instituisse, credendum. Facti illa est, & adeò nun-

quam præsumenda, nisi probetur, DEO & naturâ semper ad proprietatem homines invitantibus, ut hæcenus ostensum. Igitur singulis illorum, qui in novas commigrarant sedes, proprios suos fuisse fundos dubium nobis nullum: ex eo, quod communionem inter illos receptam nullis historiarum monumentis proditum legimus. Utro autem modo proprietatem fundorum & prælationis jus in illis acquisierint, (nam & occupatione & divisione juxta explicata à nobis Th. XI. & XII. fieri potuit,) parum attinet conjicere. Commodissimum, & ad præcidendas discordiarum occasiones aptissimum fuerit, divisione illud ut fecerint, assistentibus in singulis nationibus Principibus earum, LXXIII. patribus familiarum; in quot scilicet nationes rupto sermonis commercio scissum terrarum Orbem tadunt allegati à FOURNIER *cit. Geograph. Orbis notit. Part. 1. L. 1. c. 2.* Quod si hoc facere neglexere, cultura ipsa agri eam prærogativam cultori suo naturali ratione præstitit, ut ex traditis Th. XI. constare potest: cui tamen conservandæ civilis potestatis auxilium advocare necesse fuerit, cum, sine illâ foret, nemo *auderet dicere, mea est illa villa,* ut est in can. *quo jure. dist. 8.*

*Dominiorum
continuatio*

*modis J. gen-
tium
Accessione*

XVII. Misimus hæcenus in quietam Orbis terrarum possessionem & gentes omnes primi mundi, & singulos in illis homines, quæ tantò fuit pacatior, quò facilius raris habitatoribus sustentandis vasta regionum spacia sufficiebant. Nunc ulterius descendendum, & in nostra usque tempora proprietatum series continuanda est: Ubi primùm rerum per originarios acquirendi modos nostro dominio subiectarum respectu *Accessionem* addimus: quod enim rei nostræ accedit, id ex naturali ratione, quâ adjunctum cedit subjecto, & accessorium sequitur principale, nobis acquiritur, ait ZOES. ff. *de acquir. rer. dom. n. 33.* Exemplum hujus acquisitionis certius foetus animalium nostrorum est: §. *Item ea. 19. Instit. eod.* qui fructibus æquiparantur, imò fructus esse dicuntur in *L. In pecudum. §. 1. D. de usur. Specificationem* vero quod attinet, placeret in genere sententia Sabinianorum, dominium novæ speciei pristino materiæ domino nunquam abjudicantium, eò, quòd

quod id, quod ex re alicujus provenit, ejus esse oporteat, ac res nostra invitis nobis ad alium non debeat transferri: *L. Id quod nostrum. ii. ff. de R. J.* neque admittentium distinctionem, utrum res ad pristinam materiam reverti possit, an minus? Nam & altero hoc casu posito forma, quam, v. c. vino ex uvis facto, mutatam ajunt, accidentalis non essentialis est. Sed contrarium in foro civili pronunciare jussit Imperator §. *cum ex aliena. 25 J. de rer. divis.* Cui proinde obtemperandum, & pristino materiae domino actio in factum quâ æstimationem consequatur, juxta *L. In rem actio. §. 5. de R. V.* relinquenda est.

XVIII. *Respectu personarum* dominiorum continuationem in dominorum mutatione & translatione domini ab uno in alterum quæramus oportet. Modus, quo id fiat, maxime naturalis *traditio* est: cui *voluntas domini* fundamentum præbet: *nihil enim tam conveniens est naturali equitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre ratam haberi*: ut habet §. *Per traditionem 40. I. de R. D.* Estq; hoc ex eo, quoniam prius domini membrum, ceu Th. IV. docuimus, in libera de re disponendi facultate consistit. Cum igitur pro libitu de re, cujus proprietarius est, dominus statuere queat, nil prohibet, quo minus idem proprietatis jus in alium, qui & ipse ejus capax sit, (quales omnes homines ex divina donatione:) volens transferat. Ne tamen aliquid dissimulemus, nequaquã adeo libera hæc voluntas est, quin certis quibusdam terminis jure etiam naturali circumscripta reperiatur. Exemplum alimenta liberis debita sint. Hæc enim liberis ex bonis Parentum propriis deberi jam supra Th. VII. firmavimus. Nempe quod de Adami liberis illic loci diximus, ipsis ex divina traditione jus Orbe terrarum utendi natum esse, hoc ex rationis identitate ad omnes, qui alios nativitatis ordine sequuntur, merito extenditur: quos enim in lucem hanc producit Numen, illis certè de alimentis, quibus vitam sustentent, prospexit, & hæc de causa, secundum nostram sententiam, statim in primâ Orbis terrarum donatione jus ad illius usum dedit. Id quod de rebus hæcenus à nemine possessis, nec propriis factis dubitationem vix recipit. Ubi autem occupata jam

Traditione

Alimenta ex bonis Parentum liberis debita.

B 3

omnia

omnia & propria facta supposueris, frustraneum illud recens natis à Deo concessum jus fuerit, nisi bona aliqua, ex quibus alimenta accipiant, designes; quæ sane proximè in Parentum, quorum ipsi pars quasi quædam sunt, patrimonio quæseris.

XIX. Possent tamen cuiquam videri, recens natos non tantum ad bona parentum propria jus pro consequendis alimentis habere, sed ab aliorum quoque possessionibus penitus exclusos non esse. Quod enim ab immobilibus, culturâ per aliquem occupatis, reliquos abstinere Th. XI. iussimus, illius assertionis rationem partim in eo posuimus, quòd ipsis eandem prælationem sibi in fundis nondum occupatis acquirere integrum esset: quæ ratio, simul ac omnia occupata sunt, cessat; contra recens natos cum primis, qui, si superiori tempore adfuissent, forsitan prævenire se ab altero in hujus vel illius fundi occupatione passi haud essent: ut proinde ob sequiorem nativitatis illorum ordinem tantum ipsis præjudicium inferre velle iniquum aliquatenus videatur. Sed & illius proprietatis jus, quod ex divisionis pacto venit, (modo si quod ex hoc solo venit,) contra posteros paciscentium urgere injustum videtur; quoniam conventio cum aliâ persona facta in aliâ nocere non debet. *L. si unus 27. §. 4. vers. ante omnia ff. de pact.* At enim pro eximendo hoc scrupulo animadvertimus liberos in societate hæc civili parentum personam repræsentare, de quo ipso infra latius dicturi sumus: cui consequens est, ut ad illas res, quarum usu parentes, proprio quantum vis facti, exclusi erant, jus aliquod arrogare sibi liberi non possint; cum Parentes plus juris, quam ipsi haberent, ad eos transferre non potuerint: juxta *L. Nemo 54. de R. J.* Neque officit, quod recens natos proprio & in divinâ Orbis terrarum traditione fundato jure ad usum terrestrium rerum venire modo scripsimus. Hoc enim intermedias, per quas jus illud defertur, non excludit, sed maximè supponit personas.

XX. Igitur jus, quod ad Orbem Terrarum ex divinâ traditione recens natis competit, in bonis Parentum primum effectum sortitur, & ex illis alimenta liberis vindicat, pro modo nempe facultatum eorum, ut D. Pius rescripsit, in *L. si quis. 5.*

quis s. S. sed si filius. ff. de agnosc. & alend. lib. Ortum hinc traxit Legitima, hoc est tertia, si liberi non sint plures quatuor, aliàs femis omnium bonorum liberis à parentibus necessario relinquenda portio Nov. de trient. & semis. 18. cap. 1. quæ, quia alimentorum loco est, jure nature debita vocatur in c. Raynutius 16. de testam. in 6. Nov. 1. in fin. pr. Unde, quando quæritur, an legitima statuto tolli possit, de quo ipso differentes auctorum opiniones esse tradit HIERON. TREUTLER. Vol. 1. Disp. 13. Th. II. crediderim respondendum, quatenus verorum alimentorum ratione habet, hoc est, quo sustententur liberi, donec seipos exhibere queant, juxta all s. sed si filius. tolli non posse. De cætero ab illorum parte steterim, qui juri nature convenientem quidem, juri tamen civili ascribendam, adeoq; statuto tolli posse legitimam existimant, ut post allegatos tradit ZOES. ad tit. ff. de Inoff. testam. n. 110.

XXI. Sed redeamus tandem è diverticulo in viam, & ad id, quod diximus, voluntatem Domini traditioni, quæ est modus continuandi dominium juris gentium, fundamentum præbere. Hoc autem traditioni peculiare non est, sed omnibus fere modis acquirendi, Juris Civilis dictis, commune. Sive enim eos qui singularum rerum sunt, consideres, ut legata & fidei commissa, sive, quibus per universitatem res acquiruntur, ut arrogationem & successionem testamentariam, utrobique apparet domino volente dominium transire. Ut fortassis domini voluntate his modis declarata idem effectus, nempe domini translatio etiam in foro juris naturalis, ac civili Lege per operationem mentis sequestrata, sequeretur. Dicuntur autem Juris Civilis, quoniam hoc illos in foro suo approbavit, aut, quod magis est ut dicamus, formam & certam regulam illis præscripsit: quâ ratione testamentum Juris gentium, testamenti factionem Juris Civilis esse scribit JACOB. CUIAC. in LI. ff. qui testam. fac.

XXII. Putat verò GROT. L. de Jur. B. ac. P. cap. 7. n. 3. id ipsum de successione ab intestato quoque ob conjecturam voluntatis demortui asserendum esse ac fore, ut idem successione ab intestato jus, remota etiam L. civili, obtineret:

Legitima.

Item modis
juris civilis,
Rerum singularum ut Legatis & fidei commissis:
Per universitatem, ut arrogatione, successione testamentaria,

& ab intestato

Jus repræ-
sentationis.

tineret: Unde HIERON. SCHVRF. quoque *Cen. II. cons. 26. n. 2.* inquit: *eum, qui intestatus decedit, videri illum institueri, qui aliàs illi ab intestato succedit, juxta L. Siquis cum. 3. de jur. codic.* Ac profecto negari non potest naturæ satis conveniens esse, ut in possessionem & proprietatem bonorum & jurium morte alicujus vacuorum, proximi illius cognati præ aliis ab intestato admittantur, liberi cum primis: quos scilicet, ut parentum suorum locum in societate civili post obitum illorum repræsentent, natura ipsa, dum genus humanum ex se deficiens per recentem aliorum nativitatem reparat, & ab interitu conservat, velle videtur. Quod si tamen quis & hanc solam cum naturâ convenientiam & præsumtam morientis voluntatem alios homines in foro juris naturalis ab usu bonorum, quæ revera per mortem intestato decedentis iterum nullius esse cœpere, (excipimus competentem ad alimenta liberorum, qui ipsi se exhibere nec dum queunt, quantitatem:) excludere dubitet, is rectè in subsidium civilem Legem & hæreditatum ex illâ delationem advocaverit.

Usucapione &
prescriptione.

XXIII. Etenim esse illam civili magistratui potestatem, ut non solum rem, quæ nullius est, alicui appropriare; verum etiam propriam subdito, ita postulante bono communi, auferre possit, nos cum ZOES. ad *tit. ff. de Just & Jur. n. 57.* asserimus: & vis asserti hujus in modo acquirendi derivativo, usucapione & præscriptione manifestò se exerit. Nam quoad hanc apertè GROTIOL. *II cap. 4.* negamus, eam pro jure inter supremæ fortunæ homines & nullo Legis civilis vinculo collegatos allegari posse. Rectè FERRAND. VASQVIUS *L. II. Illustr. Controv. cap. 56.* & Dd. nostri communiter ad *L. Obligationum 44. §. placet. ff. de Oblig. & A.* tempori per se considerato talem effectum, ut dominium transferat, adimunt, cum nihil à tempore fiat, quanquàm omnia in eo. Neque est, quod ad præsumtam derelinquendi voluntatem GROTIUS confugiatur: bene sibi ipse quoad hanc objiciens, cum homines se suæque ament, non debere eos credi, quod suum est, jactare. Ac certè, si verum loqui amamus, prout nunc hominum ingenium est, (credo etiam semper fuit,) quicquid potius quàm tale
quid

quid præsumere decet: Id quod jam ante nos CL. Dn. JO-
AN. à FELDEN in *Not. suis* ad illum GROTII locum vidit.
Reponit quidem accuratissimus THEODOR. GRASVINCKEL in
Stricturis, Grotium neque usucapionem neque præscriptio-
nem pro jure, quod inter diversos populos litem dirimat, al-
legare, sed id saltè sibi velle, *longam possessionē inter gentes idem o-*
perari, quod usucapio inter cives Romanos. Verum res eodem re-
dit, & qui dominium per longam possessionem jure naturæ
transferri vult, in tempore se fundet necesse est. Quare rectè
adhuc FELDEN dixit argumenta & loca auctorum à GRO-
TIO allegata opinionem saltem de dominio pro possidente
arguere, ita ut firmioribus argumentis instructum venire o-
porteat, qui eam revellere velit. Cæterum injustus tamen hic
modus acquirendi dominii non est, *bono publico, ne incerta es-*
sent rerum dominia, introductus L. I. de Usurp. & usucap. dum id,
quod ex iniquo habere videtur contra singulos, utilitate pu-
blicâ rependitur. Dicis: ergo adhuc juri naturæ convenit: Re-
spondeo: etiã: in eo scilicet, quod certū temporis spatiū domi-
nis ad inquirendas res suas præstitueret ac illo elapso eos præ-
cludere civili potestati consulit; haud verò, quasi sine hujus au-
toritate aut istum rem suam longissimo licet tempore post
repertam vindicare vetet, aut illum aliena retinere jubeat.
Ex hoc autem, quod Juris civilis usucapionem & præscriptio-
nem esse asserimus, simul sequitur, rectè illum dominii titulum
Romano Imperio provincias suas vindicanti opponi non
posse, ut ut contrarium videatur Viro de rebus Germanicis
præclarè merito Dn. HERMAN. CONRINGIO de *Finib.*
Imp. German. C. XIX. AUCTORI des affaires entre les Maisons de
France & de Autriche cap. II §. 4. & compluribus aliis.

XXIV. Conferamus nunc in pauca, quæ satis latè ha-
ctenus persequuti sumus: ex quibus duo omnino compro-
bata arbitramur. *Alterum*, quod Th. IX. probandum suscepi-
mus, *non sine aliquo hominum facto proprietates rerum cœpisse*: in
quo ipso scilicet prælationis jus, quod circa unamquamque
rem possessori dedimus, maximam partem fundatur. *Factum* autem hominum, non constitutionem ad primam pro-
prietate-

Concluditur

Rerum pro-
prietates

1. non sine facto
hominum cœ-
pisse:

C

prietatum originem requirimus. Nam mobilium quidem
proprietates ex ipsâ earum occupatione, omni humanâ con-
ventionem aut dispositionem sepositâ, cum humano genere cœ-
pit, ut in all. Th. IX. docuimus, adeoq; juris naturalis est: Sed &
illius proprietatis jus, quod in reb⁹ immobilibus per occupa-
tionem quari potuisse Th. XI. astruximus, hominum constitu-
tionem ante se non requirit. Istæ vero rerum immobilium
proprietates, quæ divisionis pacto constitutæ sunt, ut GROTI-
US vult, aut ex assignatione magistratus civilis ortum traxê-
re, quæ nobis maximè probabilis harum proprietatum origo
Th. XII. visa est, hominum dispositionem omnino supponunt.
Quin neque occupatorum fundorum dominium sine hâc diu
stare potuit: quandoquidem simul ac quis desisset colere
fundum, tanquam cessante, quæ alios homines ab ejus usu
excluebat, ratione, reviviscere debuisset pristinum omnibus
hominibus commune Orbe terrarum utendi jus: (quod in re-
bus mobilibus secus est; ubi, quam diu res nullius iterum esse
non incipit, pristina domini causa, nempe occupatio, durare
intelligitur:) ut proinde ad fundorum dominium sive acqui-
rendum sive continuandum dispositionis humanæ opem
advocare necesse fuerit. De his igitur propriè explicari potest
textus in *L. Ex hoc jure. 5. de Just. & jur. qui jure gentium dominia
distincta, & agris terminos positos asserit*: (*jus gentium* quo hæc
facta dicuntur, intellige *secundarium*, ut habet communis sen-
tentia; quam explicatam vide à Jcto Celeberrimo & nobis
hîc cum honore comemorando Dn. GEORG. ADAMSTRU-
VIO. *Vol. I. Syntagm. Jurispr. Exercitat. 1. n. 54. & 56.*) quanquam
aliàs quoque ea, quæ juris naturalis propriè sunt, juris gentiû
dicere auctoribus nostris insolitum non sit. Conf. *L. Omnes po-
puli 9. eod. L. ult. pr. de rit. nupt. L. Js naturâ 84. de R. J.*

XXV. Atque hoc unum est, quod ex dictis constare ar-
bitramur: *alterum* illud, hanc rerum proprietatem & prælatio-
nem possessoris in usu rei præ omnibus aliis injustam non
esse; imò in rebus quidem mobilibus naturali ratione solâ
competere: in immobilibus verò aut naturali ratione iterum,
aut Lege quidem civili constitutam esse, non tamen nisi DEO
volente, & ad stipulante æquitatis ratione, ut per singula fere
domi-

dominium acquirendi & continuandi genera deduximus: hocq; eò magis dubio caret, postquam usucapione receptâ, per eam publicâ quasi Lege semper, quod in legitimo dominia continuandi ordine peccatum forsan est, corrigitur & ad justitiam redigitur. Cui denique accedit præsumtio generalis & naturali æquitate fundata, possessorem quemlibet pro legitimo dominio habens, donec contrarium probetur *L. Possessores. 2. de probat.* etiam si ipse nullam habeat justam tenendi causam *L. fin. C. de R. V.*

XXVI. Quid ergo est, quod in Epistolâ suâ fratribus Hierosolymitanis Clemens scribit, relatus *Can. dilectissimis. 12. q. 1. Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius suum hoc esse dixit, alius illud, & sic inter mortales divisio facta est: &c.* Nisi cum DICASTILLO Lib. II. de Just. & Jur. Tr. 1. Disp. 1. n. 129. id, quod ait, per iniquitatē alius suū hoc esse dixit, alius illud, de iniquitate primorum parentum explicare malimus, quæ occasionem præbuerit proprietatibus rerum discernendis; non video, quid respondendum aliud sit, quàm ut dicamus cum Excell STRAUCHIO loco supra alleg. verba hæc Clementis non esse, sed Faustini cuiusdam Ethnici à Clemente in eâ Epistolâ refutati: quod ipse BELLARMINUS de Scriptor. Eccles. agnoscat. Quid quod omnem Clementinis istis Epistolis auctoritatem derogat, & inter scripturas apocryphas, imò fictitias ponit Theologus nostras maximus B. CHEMNITIUS *Loc. de paupertate c. III.* Consentiant autem Canonistæ ipsi, Decreti à Gratiano compilati majorem auctoritatem non esse, quàm singulorum in eo relatorum: ut notat Gl. & colligitur ex *distinct. 20. in princ. DIDAC. COVARRVV. IV. Var. Resolut. cap 3.*

XXVII. Sunt quidem & alia argumenta quibus Anabaptistæ, fanatici homines, rerum communionem omnibus in Ecclesiâ necessariam esse, probare satagunt, & exemplo Ecclesiæ primitivæ Hierosolymitanæ sese defendunt; Sed illa, quoniam ex sacris literis petuntur, in Theologorum Scriptis legi debent. Commendamus ad hanc rem Beat. CHEMNITIUM *loc. cit. ubi primum* ex eo, quod Decalogus non furtum tantum, sed & cupiditatem alienarum rerum se-

Objectio ex
Can. dilectissimis, 12. q. 1.

Anabaptista-
rum argu-
menta remis-
sive.



verè prohibet, quodq; item DEUS ipse in populo suo hæreditarias possessiones esse voluit, proprietatum distinctionem ex ordinatione divina esse ostendit : quâ ratione divitiæ benedictio Domini vocantur Proverb. X. vers. 22. mendicitas verò inter imprecationes ponitur Deuter. XXVIII. Deinde Evangelium Politias non abrogare, imò Eleemosynam, quæ proprium quid supponit, præcipere, & ad hoc ipsum CHRISTI Salvatoris exemplum facere ait. Bene scilicet Augustinus Tract. 60. in Joan. Habebat Dominus oculos, quibus servabat collata, ut intelligeremus, quod præcipit, non cogitandum de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servaretur à Sanctis, sed ne DEO propter ista serviat. Denique à Christianis non actu sed habitu facultatum possessionibus renunciandum esse docet : paratis nempe ea amittere ubi Evangelii causa ita postulaverit. Ad allatum autem exemplum, indifferens institutum illud, & temporale fuisse respondet : quare Paulum inter gentes nec instituisse nec consuluisse talem communionem : Iterum Augustin. de doctrin. Christ. L. III. cap. 6. in genere ait : Nulla Ecclesia gentium legitur hoc fecisse. Verum hæc, quatenus Scripturam explicant, ut diximus, ex Theologis peti debent; nobis suffecerit ostendisse rerum proprietates naturali rationi convenire.

Obj. Omnia
Principis esse.

XXVIII. Possemus itaque finem nunc facere discursus nostri, & quod probandum suscepimus, justas nempe rerum proprietates esse, pro comprobato habere : sed moratur adhuc, quod, quæ de distinguendis rerum proprietatibus hætenus multis persequuti sumus, gratis dicta, si ad Principis dominium referantur, videri queunt; quandoquidem Principis omnia esse, & Jure nostro civili prodita, & à Jctis recepta sententia est. Num dicemus cum GL. & BR. in præem. D. in princ. COVARRUV. in c. peccatum p. 2. §. 9. n. 5. JASON. MAYN. in L. cunctos populos. num. 2. & 8. C. de Sum. Trinit. & fide Cathol. ANDR. GAIL. L. I. de Pac. Pubi. cap. 11. n. 4. LUDOV. MOLINA Tom I. de Justit. & Jur. Tractat. 2. disputat. 20. PEREGRIN. L. I. de Jur. Fisci. Tit. 2. n. 40. ROBERT. MARANT. Disput. VIII. n. 27. NICOL. EVERH. JUN. Vol. I. cons. 41. n. 81. & tantum non universâ Jctorum Scholâ, O-

lã, Omnia principis esse jurisdictione & imperio, singulorum verò dominio & proprietate? Non placet distinctio. Qui ita? Forte quia Legumperitorum est, illorum quidem, qui modestiores videntur, non sunt? Sed non puto hoc nomine solùm eam improbatum, qui sine dubio apud Senec. Lib. VII. de benefic. c. 4. Ad reges potestas omnium pertinet, ad singulos proprietates; & cap. seq. sub optimo Rege omnia Rex Imperio possidet; singuli dominio, ac denique totidem pene verbis eadem penes GROTIUM L. II. de Jur. B. ac P. c. 3. n. 4. legerit. Alia itaque subest causa, quare illa rejiciatur; hæc scilicet, quoniam majestati potius ministerium procurationis imponit, quam civilem aliquam facultatem concedit. Vis verbo dicam? eminentis dominium non sapit.

XXIX. Age igitur, ne turbent quæta privatorum dominia de dominio eminenti assertiones, videamus de illo tantisper. Non puto autem fore, ut quisquam Principis dominium universale ex eo extruat, quod ipso res privatorum auferente subditi, aut resistere non valeant, aut non debeant vires contra eum experiri. Nam *tolerandum est patienter*, inquit ÆNEAS SYLV. in Lib. de ort. & autor. Imp. Rom. c. 16. quicquid Princeps facit iniquè, expectandaq; est vel successoris emendatio, vel superni judicis correctio, qui violentias atque injurias non sinit esse perpetuas. Sed ex hoc, qui principi justam omnium bonorum dominium addiceret, næ eadem ille argumentationis vi & fortiori, ut imbecillum occidat, & improbis Judæis, ut Christi discipulos persequerentur, quibus nempe *non resistere malo*, Matt. V. præceptum erat, jus datum concluderet. Imò, ubi de Jure quæstio est, illa saltem Princeps facere posse videtur, quæ honestè potest: quando quidem, *quæ facta ledunt pietatem, estimationem, verecundiam nostram, & generaliter contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est*. L. filius qui fuit 15. D. de condit. Instir.

XXX. Porro neque hoc loco controvertimus, utrum supremam potestate fungens alicui rem suam, aut jus quæsitum ex causa auferre possit; quod ipsum supra Th. X XIII. asseruimus. Præficimus autem huic negatio moderatricem rectam rationem, cui soli paret, qui omnibus imperat, post DEUM.

*Quid sentien-
dum de domi-
nio eminenti.*

primus & civili Legum omnium vi solutus. Jubebit hæc Principem, ut commune bonum semper intueatur, & Salutem R. P. cæ supremam sibi Legem patiatum esse, juxta *Cic. 1. de LL.* Unde ad plenitudinem potestatis confugere necesse non habemus, de quâ πολιτ. κώτατ. WAREMUNDUS ab EHRENBURG merito addubitavit, num ab homine, an à Diabolo sit profecta: *C. XV. de regni. subsid. & oner. subdit. n. 16.* quando scilicet ad malum & injuriam extenditur. *VASQUIUS L. I. Illustr. Controv. c. 5.* Jure quoque tenebitur regulariter, ut ex publico resarciendum curet damnum, quod publicæ rei causâ alter percepit. Pro quo est textus in *L. Venditor fundi. 13 §. 1. ff. comm. præd. tam urb. quàm rustic. & ratio, ut inter æquales æqualitas fervetur.* PETR. ANTON. de PETRA, in *Tract. de Jure quæsit. per Princ. non toll.*

XXXI. Inquis: Sic ergo dominium Principis adstruitur. Nam dominium eminens est, quod civitas habet in cives & res civitatis ad usum publicum, definiente GROTIUS de *Jur. Bel. ac. P. L. I c. 2. n. 6.* Respondeo: ex dictis dominium aliquod universale propriè dictum non surgit, multò vero minus conficitur, *primarium jus & dominium penes regem residere: usum & possessionem transcribi in subditos.* Domina rerum, quæ jure gentium ad singulos pertinere, supra ex *L. Ex hoc jure 5. ff. de J. & I.* scripsimus, imò aliqua ex jure naturæ accersivimus, duo omninò ponere Th. IV. docuimus; jus disponendi de re, atque 2. illius juris proprietatem. Prius domini membrum quod spectat, potestas illa disponendi de rebus, quarum possessionem in privatos transcriptam dicis, utique non à Rege, sed à singulis quotidie exercetur, referri autem ad Regem secundo, imò tertio demum loco potest, quatenus singuli simul sumti R. P. cæm constituunt, & R. P. cæ tandem caput Rex Habemus igitur jam nunc, intuitu potestatis hujus dominium primariò penes privatos residere. Proprietatem verò illius potestatis quod attinet, falluntur, si qui cives & R. P. cæm inrer se quoad illam opponunt, cum maximè conjungi debeant: de quo pulchrè *Seneca cit. cap. IV. Fines Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde vicini inter se privatâ terminatione distinguunt, & totus ager hujus aut illius R. P. cæ est, pars deinde*

deinde suo domino quoque censetur. Nimirum, cum v. g. Titii agrum proprium esse dicimus, R. P. cæ aut supremâ potestate fungentis Imperium haudquaquam excludimus, (cujus immò potestas in illum agrum ex eo ipso stabilitur, quoniam Titii, civis sui, proprius est:) sed v. c. Mævium concivem. Ita verò demum ager ille R. P. cæ alicujus proprius diceretur, si de imperio in illum agrum lis inter eam & aliam civitatem verteretur: de quo casu nullus hîc nobis sermo. Relinquitur igitur rectiùs loquutos JCtos, quos Th. XXVIII. citavimus, dum *dominia singulorum, imperium Universitatis aut Principis* esse asserunt.

XXXII. Atque consentiunt nobiscum in hoc uno, cætera parum concordēs, quos jam semel cum honoris, præfatione citavim⁹ JOAN à FELDEN & THEODOR GRASWINCKEL ad L. i. Grotii de Jur. B. ac P. cap. i. n. 6. Illius verba hæc sunt: *Facultatē iterum duplicem facit, (Grotius,) vulgarem & eminentem; hanc regie potestati, illam singulis patribus famil. attribuit, statuitq; imperantes majus dominium habere in res singulorū ad bonū commune, quàm domini singulares. Quod obscurum admodum est, & videtur Auctor confundere dominium rerum cum imperio, aut ad minimum imperium herile & tyrannicum cum civili. Nam uti infra ostendetur imperium civile non dominium comprehendit in res singulorum, sed disponit circa mores civium seu justum universale. Quia verò munus civis exigit, ut omnia bona pro salute patriæ profundat: ad ejusmodi actionem virtuosam imperans subditos cogere, & nisi ultro faciant, vel auferendo, vel pœnâ coercendo vim addere potest. Non tamen dominium absolutum in bona civium eidem competit. Quanquam autem hisce in verbis ipse stricturam GRASWINCKELII effugere non potuit, qui ad id, ut omnia bona pro patriâ quis profundat, absque injuriâ cogi quem posse negat, in summâ tamen conveniunt, & exactè loquendo imperiū proprietatē rerū nō continet, nec proprietas imperiū, alter quoque ait. Quin & in reliquis FELDENUS illîc loci defendi potest.*

XXXIII. Nihil dictis officit, quod in can. quo jure dist. 8. dicitur: *Tolle jura Imperatorum, & quis audeat dicere, mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut domus hæc mea est? Per jura enim Regum possidentur possessiones: qui textus aliud sibi non vult, quàm*

quàm quod nos supra Th. XII. & XIV. ex eo extruximus, dominiorum inter privatos dispersonum conservationem, forte etiam primam constitutionem civili potestati deberi; id quod ad imperium, non dominium spectat. Porro, quod in *L. Bene à Zenone. 3. C. de quadrienni præscript. Omnia principis esse dicuntur*, eo argumento, ut cum veteribus Glossatoribus, Martino, Hostiensi, quos sequitur JOAN. FABER in *Breviar. Cod. ad h. l. rerum privatarum dominium principi addicamus*, tantum abest, ut ne quidem earum omnium Imperium illic loci Justinianum Imperatorem sibi tribuere voluisse aut mememus. De fiscalibus ac patrimonialibus rebus in privilegio, res alienas quadriennio præscribendi, exæquandis sermo est Imperatori, quæ omnia, hoc est, utraque sua esse dicit. Verba clara satis sunt: *quæ enim differentia, ait, introducitur, cum omnia principis esse intelligantur, sive ex sua substantiâ, sive ex fiscali fuerit aliquid alienatum?* Denique, quod Antoninus Pius in famosa *L. De precatio 9. Ad L. Rhod. de jact.* Græca phrasi τῷ νόσῳ κύριον sese appellat, ex illo sane Optimum Imperatorem rerum omnium dominium sibi arrogare voluisse, quoniâ κύριον se se vocaverit, non plus concluderis, quàm si in Parthos, aut Marcomannos & reliquos magis versus Septentrionem degentes Germaniæ populos, eundem imperium sibi vendicasse argumenteris, eò quod τῷ νόσῳ dominum se appellavit: aut, quod huic simile est, iisdem populis Augustum tributum imperasse, quoniam πᾶσαν τῇ ὀικουμένην tributum pendere iussam *Lucas Evangel.* scripsit c. II. Nam hæc omnia civiliter de Imperio in Orbem Romanum intelligenda esse dudum inter eruditos convênit. Vid. JACOB. GODOFRED. in *Tract. ad hanc L. de Imperio mar. & de Jur. naufrag. collig. c. VI. & VII.*

XXXIII. Manet igitur immotum, dominia rerum inter singulos partim naturæ, partim gentium jure primitus distinctarum ac separatarum, ad singulos sive privatos, non ad R. Pcam aut Principem propriè pertinere: quanquam hic illa ex causâ publici commodi quandoque auferre possit: quod reliquis æquali conditione æstimatis, non licet; sed, si faciunt, in crimine eos constituit: ad quam tractationis partem nunc transgredimur. Ha-

ctenus

S. D. G.



ULB Halle


3


006 302 114



VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.

55 J

1658 34
6a
6

C. B. D.
DISPUTATIO JURIDICA
De
**PROPRIETATE
RERUM**

Quam
PRO LOCO
In Amplisff. Facultate Juridica sibi concessa
p.p.

WILHELMUS LEISER,
J. D. & P. P.

RESPONDENTE
CHRISTOPHORO Ritter /
Hall. Sax.

Habebitur in Auditorio Majori a. d. XXIII. Decemb.
horis matutinis
ANNO c13 13c LVIII. G. J. T. M.

WITTEBERGÆ
Literis MATTHÆI HENCKELII.

8.

